



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. XV. De impedimento ex impotentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

& seq. & in ordine ad præstandum impedimentum matrimonio non attenditur affinitas secundum leges, sed secundum sacros canones ex n. eod. Non nascitur ex copula, nisi perfecta, & consummata per n. 1213. & de jure canonico tam fornicaria, quam conjugali per n. 1215. ex affinitate non nascitur affinitas per n. 1214. & n. 1223. Unde inter consanguineos viri, & mulieris, inter quos habita est carnalis copula, nulla est affinitas, nullum impedimentum exinde, per n. 1214. & seq. sed tantum inter virum, & consanguineos mulieris cognita ab illo, ac inter istam, & consanguineos viri. Consanguinei talis mulieris, in eo gradu, & linea, sunt affines viro, in quo gradu, & linea, sunt consanguinei mulieris, & vicissim consanguinei viri in eo gradu & linea sunt affines mulieris, in quo gradu & linea sunt consanguinei viri, juxta regulam in n. 1225. ubi etiam n. 1227. dedimus regulam construendi arborem affinitatis.

Affinitas, saltem de jure canonico, habet suos gradus per n. 1228. & alia est legitima, alia illegitima ex n. 1217. & seq. Utraque dirimit matrimonium inter affines, ex n. 1216. & seq. jure tamen solum Ecclesiastico, etiam in primo gradu tam lineæ rectæ, quam transversæ, seu lateralis per n. 1231. & seq. & quidem perpetuo ex n. 1216. & seq. olim utraque extendit se ad septimum gradum inclusivè; hodie autem legitima, solum ad quartum; illegitima ad secundum duntaxat gradum inclusivè, per n. 1229. de penis autem contrahentium in gradu prohibito, dictum est à n. 1238. Affinitatis tria sunt genera, ex n. 1218. ubi in seq. expositum, quomodo & quando, primum, secundum, & tertium genus affinitatis contrahatur. Cæterum genus non mutat gradum affinitatis ex n. 1219. inter consanguineos viri, & mulieris, inter quos copula intercessit, nasci potest affinitas secundi, & tertij generis, per n. 1220. secundum, & tertium genus in ordine ad matrimonia, jure canonico non attenditur ex n. 1223. attenditur tamen quædamque in alijs causis per n. jam citatum.

## §. XV.

## De impedimento ex impotentia.

De impotentia agitur tit. 15. à n. 1261. est vitium corporis naturale, vel accidentale, impediens coitum, per n. 1273. Talis impotentia coeundi, seu exercendi copulam perfectam, seu naturalis, five accidentalis, præstat impedimentum impotenti, dirimens matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum; ex n. 1265. & seq. & quidem quoad omne matrimonium, si sit naturalis absoluta, & perpetua; vel si respectiva, solum cum illo, respectu cuius impotens est, non respectu aliorum, per n. 1266. non autem si solum sit temporalis per n. 1268. est impedimentum juris naturalis ex n. eod. nascitur vel ex frigidityte in viro, n. 262. vel ex nimia arctitudine in femina per n. eund. vel ex maleficio, aut alia causa extrinseca in alterutro, aut utroque per n. eundem. Sterilitas nullum parit impedimentum matrimonio per n. 1272. nec impotentia superveniens matrimonio rite contracto, etiam rato tantum ex n. 1274. & seq. nec senium, vel infirmitas ex n. 1284. & seq. quid dicendum de hermaphroditis, enouchis, & spadonibus, constat ex n. 1286. & seq. de impotentia ex parte mulieris, & ad quid teneatur, diximus à n. 1289. & impotentia dubia, à n. 1294. an conjunctus potens, & quando ac qualiter reclamare possit contra matrimonium ex impotentia alterius? à n. 1296. an matrimonium ob unius impotentiam dissolutum restaurari, & quomodo debeat à n. 1309.

## §. XVI.

## De impedimento ex clandestinitate.

Hoc impedimentum inductum est jure Tridentini: unde clandestinitas hic supponit pro defectu formæ à Tridentino præscriptæ in contractu matrimoniali, nimirum ut fiat *in facie Ecclesie*, seu in præsentia Parochi, & testium; de illo egimus tit. 3. à n. 632. olim matrimonium contractum cum tali defectu, seu cum dicta clandestinitate, validum erat, sed illicitum, ex n. 633. hodie autem, ubi decretum